tatis initium, quod potuit eſſe niſi ſuperbia? Initium *enim* omnis peccati ſuperbia eſt. *Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri, atque eſſe principium.* Et Conc. 11. in Pſal. 118. *Nam* (inquit) *ipſi primi homines per ſerpentem decepti, & dejecti non fuiſſent, niſi plus quam acceperant, habere, & plus quam facti fuerant, eſſe voluiſſent.*

VI. Idem ſentiunt Ambroſius Serm. 14. in Pſalm. 118. *Superbia hominem prima dejecit. Quapropter dum plus volumus, etiam quod minus eſt ſolemus amittere.* Et lib. 4. in cap. 4. Lucæ: *Non Evam cibus flexerat, non mandatorum deſtituerat oblivio; ſed promiſſi honoris ambitio illecebroſa decepit.* S. Gregorius *lib. 34. Moral. cap. 7.* nunc 23. ait: *ſcriptum eſt namque* omnis peccati initium ſuperbia. *Per hanc enim ipſe* (Diabolus) *ſuccubuit; per hanc ſe ſequentem hominem ſtravit.* Hinc Rupertus *lib. 3. de Trinit. & operibus ejus in Gen. cap.* 8. oſtendit, quod eodem vitio Diabolus hominem decepit, quo ipſe cecidit de Cælo: ſed ſuperbia Diabolus de Cælo cecidit; ergo ſuperbia hominem dejecit. *Cur enim* (inquit Rupertus) *Diabolum dejecerat e Cælo, niſi quia ſuperbiendo dixerat: ero ſimilis Altiſſimo? Nempe hoc eodem ſtatu tumida dixit mulier: dixit, inquam, quia putavit, quod comedendo fieret ſimilis Altiſſimo.*

VII. Rurſus hoc diſcurſu probo, primum, quod commiſit Adam peccatum, fuiſſe ſuperbiam. Primum, & præcipuum Adæ peccatum fuit illud, quod Deus illi imputavit: atqui Deus Adæ imputavit ſuperbiam, ironice ipſi exprobrando, quod frangendo præceptum, & comedendo de fructu, quaſi alter Deus factus eſſet: ſic enim Geneſ. 3. ver. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum;* ergo &c. *Verba enim ſunt hæc Dei, non tam huic inſultantis, quam cæteros, ne ita ſuperbiant, deterrentis* (inquit Div. Auguſt. *lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 39.*) Nec obſtat, quod Deus Adamum increpans, & pœna mulctans, pro cauſa aſſignaverit complacentiam erga uxorem ver. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti.* Etenim non nego, Adam manducaſſe, ut complaceret uxori; ſed aſſero, motum fuiſſe ad complacendum ex elatione, quam animo jam conceperat, experiendi ſaltem, an ad ſimilitudinem Divinitatis poſſet pervenire, ut infra dicemus.

VIII. Probo igitur ratione Div. Thom. 2. 2. *qu. 163. art. 1.* Primum peccatum hominis fuit prima inordinatio motus interioris animæ circa bonum, & finem ſpiritualem, ſed hujuſmodi inordinatio motus interioris appetitus alia non fuit, quam ſuperbiæ; ergo primum peccatum &c. Maj. explicatur a Div. Thom. Inordinatio enim in motu exteriori non potuit eſſe prima, quia primo invenitur inordinatio in motu interiori animæ, quam in actu exteriori corporis; quia, ut Auguſtinus dicit in 1. de Civit. Dei cap. 18. *non amittitur corporis ſanctitas, manente animæ ſanctitate.* Cum autem interior motus appetitus prius feratur ad finem, quam ad media; ibi fuit prima hominis inordinatio, ubi fuit primus appetitus inordinati finis. Rurſus: cum homo eſſet in ſtatu innocentiæ conſtitutus, ubi nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, prima inordinatio appetitus hmani non poterat eſſe ex hoc, quod appetierit aliquod ſenſibile bonum, in quod carnis concupiſcentia tendit præter ordinem rationis: relinquitur ergo, quod prima inordinatio appetitus humani fuerit ex hoc, quod interne appetierit aliquod ſpirituale bonum inordinate. Min. vero probat S. Thom. Quia bonum ſpirituale inordinate non appetitur, quando appetitur ſecundum menſuram a divina regula præſtitutam, ſed ſolum quando appetitur a divina regula, & menſura recedendo: ſed ita appetere, eſt actus proprius animi ſuperbientis, & recuſantis divinæ regulæ ſe ſubjicere; ergo &c. *Quando enim verbis ſerpentis crederet mulier, a bona atque utili re ſe fuiſſe prohibitam; niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio?* Ita S. Auguſt. *lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 30.*

§. III.

Solvuntur argumenta.

IX. OBjicit primo Fraſſen. Peccatum, quod ſuppoſuit aliud peccatum, ex quo pullulavit, non fuit in Eva primum peccatum: ſed actus formalis ſuperbiæ, quo appetiit extolli, & non ſubeſſe divinæ regulæ, proceſſit ex nimia complacentia, & inordinato amore ſui ipſius: in tantum enim ſeſe extulit uſque ad æquiparantiam cum Deo, in quantum nimis ſibi in ſuis perfectionibus complacuit, & inordinate amavit ſeipſam: ergo revera primum ejus peccatum non fuit formalis actus ſuperbiæ, ſed nimia complacentia, & inordinatus amor ſui ipſius, ex quo, tamquam ex vitiata radice, ſuperbia germinavit.

X. Quod confirmare intendit ex S. Auguſt. *lib. 14. de Civit. Dei cap.* 13. ex cujus verbis putat ſe conjicere, quod primi Parentes primo facti ſint ſibi magis placentes; & ex hoc proſilierint in affectum ſuperbiæ, & ad æmulandam divinam ſcientiam.

XI. Reſpondeo, diſt. min. proceſſit, ex parte converſionis, ex nimia complacentia &c. conc. min. ex parte averſionis, nego min. & conſequentiam, ſeu ſuppoſitum conſequentis, nempe quod amor inordinatus ſui; & nolle ſubeſſe divinæ regulæ ſint duo peccata diverſa. Utrumque enim includit ſuperbia; unum ex parte converſionis, & hoc eſt amor propriæ excellentiæ; alterum ex parte averſionis, qua dum inordinate amat, recuſat eam Deo ſubjicere: & cum ex hoc amor propriæ excellentiæ incipiat eſſe inordinatus, & peccatum, ideo dicitur: *initium omnis peccati eſt ſuperbia* Eccleſiaſt. 10. ver. 15. ſicut & 1. ad Timoth. 6. ver. 10. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Ita Div. Thom. 1. 2. *qu.* 84. *art. 2. ad* 3. ubi propoſito ſibi hoc eodem argumento: *Illud videtur eſſe initium omnis peccati, quod facit omnia peccata: ſed hoc eſt inordinatus amor ſui; ergo amor ſui eſt initium omnis peccati, non autem ſuperbia.* Ecce objectionem Scoti, & Fraſſen. Cui ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod in hoc homo ſe amat quod ſui excellentiam vult. Idem enim eſt ſe amare, ac ſibi velle bonum. Unde ad idem pertinet, quod ponatur initium omnis peccati ſuperbia, vel amor proprius.* Et in 2. diſt. 42. qu. 2. art. 2. ad 7. *Sicut* (inquit) *unum peccatum eſt ſecundum rem averſio, & converſio, differens ſecundum comparationem ad diverſos terminos: ita etiam ſuperbia, hoc modo accepta ſecundum quod eſt initium, & cupiditas ſecundum quod eſt radix ſunt idem ſecundum rem, & differunt ratione modo prædicto. Et propter hoc dicit Auguſt. 10. ſuper Gen. ſuperbiam, & cupiditatem, non quaſi duo mala, ſed unum malum eſſe.*

XII. Ad confirmat. miror, Fraſſen potuiſſe exiſtimare, Auguſtinum ſibi in loco illo eſſe propitium; cum ibi S. Doct. in verbis a Fraſſen relatis aperte dicat, quod primi Parentes ad malum opus non perveniſſent, niſi in eis *præceſſiſſet mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quod potuit eſſe, niſi ſuperbia? Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus?* Deinde quis fuerit iſte perverſæ celſitudinis appetitus, ex parte averſionis explicans, ait: *Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri, atque eſſe principium.* Prius ergo, ſecundum Auguſtinum, voluntas Evæ averſa fuit a Deo, deinde ad ſibi placendum converſa; unde ſubdit: quod ſi voluntas in amore incommutabilis boni *ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur.* En ergo, quomodo ex Auguſtino bene intellecto colligitur oppoſitum ei, quod Fraſſen intendebat.

XIII. Objicit ſecundo. Primum peccatum Adami fuit inordinatus amor propriæ uxoris, quo magis cupivit illi placere, comedendo fructum vetitum ab ea exhibitum, quam ſervare Dei mandatum. Cum enim Deus eum argueret, reſpondit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam dedit mihi de ligno, & comedi* (Geneſ. 3. ver. 12.) Quaſi diceret: amore ſociæ, quam dediſti mihi, inductus, ejus petitioni conſenſi, ut comederem. Quam reſponſionem fuiſſe veram, confirmaſſe videtur poſtea Deus, replicans illi Geneſ. 3. ver. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti.*

XIV. Et confirmat ex Auguſt. *lib. 14. de Civit. Dei cap.* 11. dicente: *Credendum eſt, virum illum ſuæ feminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem tranſgrediendam, non tamquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe.* Et *lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap.* 42. ubi docet, Adam noluiſſe contriſtare Evam, non carnis victum concupiſcentia, ſed amicabili quadam benevolentia.

XV. Reſpondeo, neg. ant. quod inordinatus amor ſuæ ſociæ fuerit primum Adæ peccatum. Fuit quidem in Adam inordinatus amor ſuæ ſociæ, & hic amor præceſſit illam apertam inobedientiam, qua præceptum de fructu arboris non comedendo fuit tranſgreſſus; ſed non præceſſit ſuperbiam interiorem. *Si enim voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, a quo illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, ſtabilis permaneret; non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc intenebreſceret, & frigeſceret: ut vel illa verum crederet dixiſſe ſerpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem.* Inde quod Adam dixerit: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam &c.* ſicut, & quod Deus hoc illi exprobraverit: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ,* probat quidem, ex inordinato amore uxoris eum peccaſſe; amore, inquam, nondum carnalis concupiſcentiæ, *ſed amicabili benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus* ut ait Auguſtin. *lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap.* 42. non tamen hanc fuiſſe primam ejus inordinationem: cum potius ad complacendum uxori motus fuerit ex aliqua jam concepta mentis elatione, qua videns, uxorem guſtato cibo, non eſſe mortuam, exarſit & ipſe quadam experiendi cupiditate, ut ait Auguſtinus laudatus.

XVI. Addo, excuſationem illam Adami fuiſſe ſuperbum mendacium; dum voluit culpam refundere in mulierem, immo & in ipſum Deum, qui illam dederat ei ſociam: quando debuiſſet humiliter confiteri peccatum ſuum. Quare idem S. Auguſtin. loco citato *cap.* 35. relatis Adæ verbis, ſe coram Deo excuſantis, exclamat: *Eja ſuperbia! numquid dixit peccavi? Habet confuſionis deformitatem, & non habet confeſſionis humilitatem. Ad hæc iſta conſcripta ſunt, quia & ipſæ interrogationes, nimirum ad hoc factæ ſunt, ut & veraciter, & utiliter ſcriberentur: quia ſi mendaciter, non utique utiliter, ut advertamus, quo morbo ſuperbiæ laborent homines hodie, nonniſi in Creatorem conantes referre, ſi quid egerint mali, cum ſibi velint tribui, ſi quid egerint boni.* Mulier (*inquit*) quam dediſti mecum, *ideſt, quam dediſti, ut eſſet mecum,* hæc mihi dedit de ligno, & edi: *quaſi ad hoc data ſit, ut non ipſa potius obediret viro, & ambo Deo.* Deinde referens excuſationem mulieris culpam rejicientis in ſerpentem: ſerpens ſeduxit me. *Nec iſta* (inquit) *confitetur peccatum, ſed in alterum refert, impari ſexu, pari faſtu.* En Auguſtinum & peccatum, & excuſationem in ſuperbiam referentem.

XVII. Sed dicit Fraſſen. Conſtat ex Scriptura, quod Adamus divinum ſibi præſcriptum mandatum non fuerit tranſgreſſus, antequam Eva ipſum ad eſum fructus vetiti alliceret:

ſed

ſed omnino veriſſimile eſt, quod tantum nefas non admitteret, niſi propter inordinatum ſuæ uxoris amorem: unde Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 14. *Credendum eſt* (inquit) *illum virum ſuæ feminæ . . . ad legem Dei tranſgrediendam, non tamquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe.* Et lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 42. *Noluit* (inquit) *Evam contriſtare &c.*

XVIII. Reſpondeo, diſt. min. admitteret opere, conc. min. animo, neg. min. Statim enim, ac Adam uxoris narrationem audivit, eſto non crediderit, ut ipſa, vera eſſe, quæ ſerpens locutus fuerat, & maxime Deum fructum illum ex invidia prohibuiſſe, & proinde, ut ſupra diximus, non fuerit ſeductus, ſicut Eva: ſtatim, inquam, his auditis, animo elationem, ac tumorem concepit, videnſque Evam poſt eſum non fuiſſe mortuam, ſtatuit intra ſe, & ipſe quoque experimentum facere, quod poſtea accedente uxoris ſuaſione, etiam ne illam contriſtaret, perfecit. Quare id, quod primo Adamum movit, fuit inordinatus appetitus divinitatis, non abſolutus, & ſimplex, ſed conditionatus, nimirum experiendi, an ſibi eſſet poſſibile eam conſequi. Et hoc eſt, quod dicit Aug. lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 42. *Virum propter aliquam mentis elationem . . . ſollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret, accepta illa eſca, non eſſe mortuam.* Sed debuiſſet Fraſſen legere eumdem S. Doct. *lib. 14. De Civit. Dei cap.* 13. ubi ex profeſſo quærens; unde in Adamo proceſſerit voluntas mala, *non enim ad malum opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas,* dicit: *Porro malæ voluntatis initium, quod potuit eſſe, niſi ſuperbia?* Initium *enim* omnis peccati ſuperbia eſt. *Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus?* Sed de his §. præcedente locuti ſumus. Addo, S. Thomam 2. 2. *qu.* 163. *art.* 4. etſi doceat, tam Adamum, quam Evam ſuperbiæ peccato tranſgreſſos fuiſſe; hoc tamen ſtatuit diſcrimen; quod Eva peccavit appetendo conſequi divinitatis ſimilitudinem contra Dei voluntatem: Adamus vero *in hoc ſuperbivit, quod voluit eam conſequi per ſe ipſum.* Immo (inquit Rupertus lib. 10. in cap. 27. Matth.) *Jam ante tentare Deum inceperant; Jam antequam foris audiſſent malum ſerpentis conſilium, intus in corde ſuo tentabant Deum verſantes divinitatis appetitum. Nam ſicut ante nos dictum eſt* (Jacobi 1. ver. 14.) *Niſi prius intus intumuiſſent, foris tentati tam facile non cecidiſſent.* Quod tamen ante tentationem intumuerint, ſingularis Ruperti opinio eſt.

XIX. Objicitur tertio. Videtur, primum Evæ peccatum fuiſſe mendacium, dum ait, Deum præcepiſſe, ne tangerent; cum Deus ſolum dixiſſet, ne comederent. Videtur præterea commiſiſſe infidelitatem, dum dubitanter locuta eſt *ne forte* moriamur; cum Deus aſſeveranter dixiſſet: *morte morieris.*

XX. Reſpondeo ad primum, quod vel mulier dicendo *ne tangeremus illud,* mentita non fuit; quia, ut ſuperius diximus, intellexit de tactu, non abſolute, ſed relate ad comeſtionem, ſeu de tactu ad decerpendum, & comedendum. Vel ſi, ut alii volunt, in hoc mentita fuit, hoc non fuit primum ejus peccatum: nam jam elationem mentis conceperat. Ita S. Thomas 2. 2. *qu.* 163. *art. 1. ad quartum* ubi affert auctoritatem Auguſt. 11. *de Geneſ. ad litt. cap.* 30. quod mulier non crederet, *niſi jam ineſſet menti amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio.* Addit tamen S. Thomas: *Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi ſuperbia præceſſerit ſuaſionem ſerpentis; ſed quia ſtatim poſt ſuaſionem ſerpentis invaſit mentem ejus elatio, ex qua conſecutum eſt, ut crederet, verum eſſe, quod Dæmon dicebat.*

XXI. Ad ſecundum dico, voculam *forte* in Scriptura frequenter non eſſe dubitantis, ſed aſſerentis; ut idem valeat, ac *utique, certe, haud dubie.* Sic Matth. 11. ver. 23. *forte manſiſſet uſque in hunc diem;* & Joann. 4. 10. *forſitan petiiſſes ab eo.* Unde ſenſus verborum mulieris eſt, ne certe moriamur; aut ne forte comedamus, & comedentes certo deinde moriamur.

XXII. Nec dicas primo. In verbis ſerpentis prius audiri *nequaquam moriemini,* quam *eritis ſicut Dii;* ergo ſaltem poſt mulier primo putavit, ſe non eſſe morituram, etſi comederet; ergo ex infidelitate proceſſit ad comedendum, putans ſcilicet, verum eſſe id, quod dicebat ſerpens oppoſitum ei, quod dixerat Deus.

XXIII. Nec dicas ſecundo. Fides eſt initium juſtitiæ; ergo infidelitas videtur eſſe initium juſtitiæ, & tranſgreſſionis; ergo primum peccatum debuit eſſe infidelitas.

XXIV. Nam ad primam replicam, vel nego conſequentiam: quod enim prius ſonat in verbis, non prius erat in intentione tentantis, qui prius intendebat inducere mulierem ad appetitum divinitatis, quod & fecit. Vel cum D. Thoma in 2. *diſt. 22. qu. 1. art. 1. ad primum* dico, quod primi Parentes *non crediderunt, Deum falſum dixiſſe; hoc enim ſimpliciter infidelitatis fuiſſet: ſed crediderunt forte alio modo intelligendum fore metaphorice, vel ad aliquid ſignificandum Dictum.* — *Vel dicendum, quod ex ipſa electione, qua illud, quod promittebatur, appetebant, oculus mentis impeditus fuit, ne actualiter veritatem divini dicti attenderent, ſecundum quod omnis malus aliquomodo ignorans eſt: ſed talis ignorantia, vel dubietas etiam credendorum infidelitatem non facit.*

XXV. Ad ſecundam, nego pariter conſeq. Quod enim primum eſt in ædificatione, nempe fundamentum, ultimum eſſe ſolet in deſtructione, ſeu reſolutione: ideoque ex eo, quod fides eſt initium, & fundamentum juſtitiæ, potius ſequitur, eam in deſtructione juſtitiæ non primam, ſed ultimam auferri. Ita D. Thom. loco mox allato ad ſecundum: *Ordo* (inquit) *compoſitionis eſt contrarius ordini reſolutionis; quia quod eſt primum in compoſitione, eſt ultimum in reſolutione: & ideo non ſequitur, quod ſi fides eſt prima in compoſitione ædificii ſpiritualis, quod infidelitas ſit prima in reſolutione ejuſdem.*

XXVI. Præfatæ duæ inſtantiæ tangunt quæſtionem, an primi Parentes etiam in hæreſim lapſi fidei jacturam fecerint.

Tertullianus *lib. 2. adverſus Marcionem cap.* 2. conſtanter affirmat, Adæ delictum omnis hæreſis initium fuiſſe: *Quis dubitabit* (inquit) *ipſum illud Adæ delictum hæreſim pronunciare, quod per electionem ſuæ potius, quam divinæ ſententiæ admiſit?* S. Proſper *lib. contra Collatorem cap.* 9. ait: *Perdidit autem* (Adam) *primitus fidem; perdidit continentiam, perdidit charitatem.* Quod repetit ad *Excerpta Genuenſium Reſponſ.* 2. dicens: *Omnes igitur, quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem &c.* Et refertur cum aliis idem ſentientibus etiam S. Auguſtinus *lib. 14. de Civit. Dei cap.* 17. dicens: *Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, ſi Deo credentes, & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas, & inobedientia, quid noceret.*

XXVII. Verum S. Thomas ſupra laudatus non gravat hoc crimine primos parentes. Quamvis enim exercite, & ex modo operandi, ita ſe geſſerint, ac ſi Deo non crediderint; & maxime Eva, quæ ſerpentem verum dixiſſe exiſtimavit: ad infidelitatem tamen non pervenerunt proprie ſumptam.

XXVIII. Quare hac in re præ oculis habenda eſt S. Thomæ doctrina 2. 2. qu. 162. art. 4. ad 1. quod *vera æſtimatio poteſt corrumpi dupliciter. Uno modo in univerſali. Et ſic in his, quæ ad fidem pertinent, corrumpitur vera æſtimatio per infidelitatem. Alio modo in aliquo particulari eligibili; & hoc non facit infidelitatem. Sicut ille, qui fornicatur, æſtimat pro tempore illo bonum eſſe ſibi fornicari, nec tamen eſt infidelis, ſicut eſſet ſi in univerſali diceret, fornicationem eſſe bonum. Et ita etiam eſt in propoſito. Nam dicere in univerſali, aliquod bonum eſſe, quod non eſt a Deo, vel gratiam hominibus pro meritis dari, pertinet ad infidelitatem. Sed quod aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis ſuis glorietur, ut ſi ea ex ſe haberet, vel ex meritis propriis: pertinet ad ſuperbiam, & non ad infidelitatem proprie loquendo.* Eadem fere iiſdem verbis docet *qu. 8. de Malo art. 4. ad 1.* ubi: *ſi quis* (inquit) *in univerſali æſtimet, Deum non eſſe auctorem omnium bonorum, vel bonum gratiæ eſſe ex meritis, pertineret ad hæreſim; non autem ſi propter amorem inordinatum excellentiæ, quæ incipit in concupiſcentiis, corrumpatur in particulari judicium rationis, ut aliquis præſumat de ſe ipſo, tamquam bonum aliquid a ſe poſſit habere, aut ex meritis propriis, quod pertinet ad ſuperbiam.* Cum ergo primi Parentes, maxime mulier, crediderint quidem, verum dicere ſerpentem, ac poſſe ſe eſu illius fructus ſcientiam a ſe adipiſci, non in univerſali, & ſpeculative, ac directe; ſed practice, & in illo particulari eligibili, quod eis ſerpens proponebat, corrupto in eis ex inordinato amore excellentiæ judicio practico rationis, peccarunt peccato non infidelitatis, ſed ſuperbiæ.

XXIX. Ex dictis colligitur primo, primum peccatum hominis non fuiſſe inobedientiam. Nam ut ait D. Thom. 2. 2. qu. 163. art. 1. ad 1. *Hoc, quod homo non obedierit divino præcepto, non fuit propter ſe ab eo volitum; quia hoc non poſſet contingere, niſi præſuppoſita inordinatione voluntatis. Relinquitur ergo, quod voluerit propter aliquod aliud. Primum autem, quod inordinate voluit, fuit propria excellentia. Et ideo inobedientia in eo cauſata fuit ex ſuperbia*

Quia vero *Rom. 5. ver.* 19. dicitur: *Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi:* primum autem, ac præcipuum peccatum videtur fuiſſe illud, ratione cujus ad poſteros tranſiit coruptio: ideo reſponderi poteſt cum eodem Sancto Doctore in 2. diſt. 22. qu. 1. art. 1. ad 3. *Quod inobedientia dupliciter ſumitur. Quandoque enim eſt ſpeciale peccatum quando ſcilicet ex contemptu præcepti aliquis ſpecialiter peccat. Quandoque autem ſumitur, prout eſt conditio generalis conſequens omne peccatum mortale. Cum enim præceptum legis actus omnium virtutum ordinet, conſequens eſt, ut quodlibet vitium tranſgreſſionem annexam præcepti habeat, & inobedientiam. Et ſic dicitur:* per inobedientiam unius &c.

XXX. Colligitur ſecundo, primum peccatum primorum Parentum nec fuiſſe gulam. *Etſi enim,* ait Div. Thom. 2. 2. qu. 163. art. 1. ad 2. *in peccato primorum Parentum etiam gula locum habuit. Dicitur enim Geneſ. 3.* Vidit mulier quod lignum eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu ejus, & comedit. *Non tamen ipſa bonitas, & pulchritudo cibi fuit primum motivum ad peccandum, ſed potius ſuaſio ſerpentis, qui dixit:* aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, *quod appetendo, ſuperbiam mulier incurrit. Et ideo peccatum gulæ derivatum eſt ex peccato ſuperbiæ.*

XXXI. Colligitur tertio, primum primorum Parentum peccatum nec fuiſſe appetitum ſcientiæ. Nam ut ait D. Thomas mox laudatus ad 3. *Appetitus ſcientiæ cauſatus fuit in primis Parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ. Unde & in verbis ſerpentis præmittitur:* Eritis ſicut Dii; *& poſtea ſubditur,* ſcientes bonum, & malum. Et *in 2. diſt. 22. qu. 1. art. 1. ad 5.* ait: *Non peccavit mulier in hoc, quod appeteret ſcientiam eorum, quæ ad ipſam non pertinebant, quia hoc curioſitas fuiſſet. Sed in hoc, quod in ſcientia eminentiam deſideravit, ut in hoc quodammodo Deo adæquaretur.*

Dubium VI.

De gravitate Peccati primorum Parentum.

§. I.

An appetierint eſſe ut Deus.

I. Eſſe ut Deus, ſeu ſimilis Deo, concipi poteſt dupliciter. Uno modo per omnimodam æquiparantiam. Et hanc ſimilitudinem ad Deum primi Parentes non appetierunt; quia talis ſimilitudo non poteſt cadere in apprehenſione, præcipue ſapientis, & conſequenter neque ſub appetitu. Ita D. Thomas 2. 2. *qu.* 163. *art.* 2. Et ſane, ſicut ſuperius in Tractatu de Angelis *Qu.* 8. *Dub.* 3. oſtendimus, hanc ſimilitudinem nec Diabolus appetere potuit, multo minus homo. Alio modo per imitationem, qualiter ſimilitudo cum Deo poſſibilis eſt creaturæ, in quantum ſcilicet participare poteſt aliquid de ſimilitudine illius, ſecundum ſuum modum. Quod ſi appetatur ut habenda ex divino munere per gratiam, appetitus erit ordinatus: ſi vero appetatur, ut habenda independenter a divino munere, ſed potius per ſuam naturam, talis appetitus erit inordinatus.

II. Dico ergo. Superbia primorum Parentum fuit in hoc, quod appetierint divinam ſimilitudinem per imitationem, ut acquirendam viribus ſuæ naturæ, non per gratiæ auxilium. Probo. Non enim primo homini major eſt adſcribendus ſuperbiæ conatus, quam ille, ad quem legimus fuiſſe a Diabolo tentatum, & quem Deus illi exprobravit: ſed fuit tentatus non ad omnimodam cum Deo æquiparantiam, ſed ſolum ad ſimilitudinem aliquam ſibi cum Deo procurandam: *Eritis* (inquit) *ſicut Dii*, & hanc illi ſolum Deus improperavit. Non enim dixit: ecce Adam Deus factus eſt, ſed *ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*; ergo &c.

Quia vero illa, quæ inordinate appetivit, ſunt Dei propria; ideo interpretative, ſeu ex conſequenti, etiam ipſam divinitatem appetiit, & quantum ad aliqua voluit Deo æquiparari. Quare D. Thom. loco mox allato de Angelo & homine concludit: *Eorum tamen quantum ad aliquid uterque Deo æquiparari appetit, in quantum ſcilicet uterque ſibi inniti voluit, contempto divinæ regulæ ordine.* Et juxta hunc modum intelligenda ſunt illa Patrum teſtimonia, quæ ſignificant, primum hominem rapuiſſe, vel expetiiſſe Divinitatem.

III. Porro cum ſimilitudo Angeli, & hominis cum Deo poſſit attendi ſecundum tria: nempe, vel ſecundum eſſe naturæ, quæ ſimilitudo ab ipſo creationis principio fuit impreſſa & homini, de quo dicitur Geneſ. 1. quod *Deus fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, & Angelo, de quo dicitur Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*. Vel quantum ad cognitionem; & hanc quoque Angelus in ſui creatione accepit: unde poſt præmiſſa verba Ezechielis, ſtatim ſubditur: *Plenus ſapientia*. Primus autem homo hanc plenitudinem ſcientiæ, ſaltem quoad omnia, non ſtatim accepit. Vel poteſt attendi ſimilitudo cum Deo quantum ad poteſtatem operandi. *Et hanc ſimilitudinem* (ait Div. Thom.) *nondum erant in actu aſſecuti, neque Angelus, neque homo in ipſo creationis principio; quia utrique reſtabat aliquid agendum, quo ad beatitudinem pervenirent.*

IV. Cum ergo appetitus ſit proprie rei non habitæ, dicit S. Doct. neuter nec Angelus, nec homo peccavit appetendo ſimilitudinem naturæ cum Deo, quam uterque habebat. *Sed primus homo peccavit; principaliter appetendo ſimilitudinem Dei quantum ad ſcientiam boni, & mali, ſicut ſerpens ei ſuggeſſit; ut ſcilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret ſibi, quid eſſet bonum, & quid eſſet malum ad agendum; vel etiam, ut per ſeipſum præcognoſceret, quid ſibi boni, vel mali eſſet futurum.* Homo enim (inquit idem S. Doct. in 2. diſt. 22. qu. 1. art. 2.) *qui creaturis inferioribus ſuperpoſitus erat, ut eas regeret, & eis uteretur, non tam per potentiam, quam per prudentiam, hoc modo appetiit, ut per naturæ ſuæ conditionem, & per ligni prohibiti edulium tantum ſcientiæ plenitudinem conſequeretur; ut ex lumine propriæ rationis, quod tamen a Deo ſibi collatum eſſe credebat, & ſeipſum regeret in omnibus, & inferiora ſibi ſubjecta. Unde Auguſtinus dicit* (in Pſal. 70.) *quod noluit ut ſervus teneri præcepto, quaſi ab alia regula per lumen naturali lumini ſuperadditum. Et hoc etiam verba ſerpentis oſtenduat, qui promiſit ſcientiam boni, & mali, quod ad actiones pertinet, & ad gubernationem rerum.* Addit tamen S. Thom. 2. 2. *qu.* 163. *art.* 2. citato, quod ſecundario etiam appetiit primus homo ſimilitudinem Dei *quantum ad propriam poteſtatem operandi; ut ſcilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem conſequendam.*

§. II.

An Peccatum primorum Parentum fuerit cæteris gravius?

V. Notat D. Thomas 2. 2. qu. 163. art. 3. quod *duplex gravitas in peccato attendi poteſt. Una quidem ex ipſa ſpecie peccati; ſicut dicimus, adulterium eſſe gravius peccatum ſimplici fornicatione. Alia autem eſt gravitas peccati, quæ attenditur ſecundum aliquam circumſtantiam loci, vel perſonæ, aut temporis. Prima autem gravitas eſſentialior eſt, & principalior. Unde ſecundum eam magis peccatum dicitur grave, quam ſecundum aliam.* His ex S. Magiſtro ſuppoſitis.

VI. Dico primo. Peccatum primi hominis non fuit ſecundum ſpeciem gravius cæteris peccatis. Probatur ratione ejuſdem S. Doct. Nam etſi ſuperbia ſecundum ſuum genus habeat quamdam excellentiam ſupra cætera peccata, in ipſa tamen ſuperbia ſunt gradus: ſed ſuperbia primorum Parentum non attigit ſummum gradum ſuperbiæ, cum major ſuperbia ſit, qua quis Deum negat, vel blaſphemat, quam qui Dei ſimilitudinem appetit ultra menſuram ſibi competentem, ſicut peccarunt primi Parentes; ergo &c.

VII. Dico ſecundo. Secundum conditionem perſonarum peccantium, & mala, quæ cauſavit, totam naturam inficiendo, peccatum primorum Parentum fuit gravius cæteris. Prior pars probatur. Gravius eſt peccatum perſonæ, quæ cum fortior ſit, & facilius reſiſtere poſſit, minori tentatione pulſata cadit: ſed primi Parentes fortiores erant, nullaque laborabant, vel pronitate ad malum, vel tarditate ad bonum, vel ignorantia, vel voluntatis corruptela, erant enim juſtitia originali bene in omnibus ordinati, & tamen levi ſuggeſtione tentati ceciderunt; ergo eorum peccatum fuit maxime grave ex conditione perſonæ. Hinc D. Auguſtinus *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 15. conſiderans, quot, quantiſque donis Deus primum hominem cumulaverat, unico, & quidem leviſſimo ei injuncto præcepto, quo ſe eſſe Dominum commonebat, quod tamen homo ſuperbe tranſgreſſus eſt, & proinde miſeræ ſervituti damnatus *Quiſquis* (inquit) *hujuſmodi damnationem vel nimiam, vel injuſtam putat, metiri profecto neſcit, quanta fuerat iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.*

Poſterior etiam pars probatur. Quia peccatum illud, utpote peccatum capitis totius generis humani, erat totius naturæ humanæ infectivum; quæ quidem natura quamdam infinitatem habet, in quantum in ea poſſunt ſuppoſita in infinitum, ſeu ſine fine multiplicari: unde peccatum ipſum fuit modo quodam infinitum, extenſive ſcilicet, & per accidens, quia peccatum capitis, & quia primum. Quare D. Thomas 2. 2. *qu.* 163. *art.* 3. *ad* 2. ait: *Magnitudo pœnæ quæ conſecuta eſt ad illud primum peccatum, non correſpondet ei ſecundum quantitatem propriæ ſpeciei, ſed in quantum fuit primum: quia ex hoc interrupta eſt innocentia primi ſtatus, qua ſubtracta, deordinata eſt tota natura humana.*

VIII. Hinc non valeret arguere ſic: Illud eſt peccatum gravius, quod majus bonum adimit, & cui inflicta fuit maxima pœna; cum ergo peccatum primi hominis maximum bonum ademerit, nempe juſtitiam originalem ab eo & Poſteris, eique maxima pœna inflicta fuerit, mors nimirum ſua, & Poſterorum; ſequitur, quod fuerit maximum peccatorum.

IX. Nam reſpondetur ex dictis, verum eſſe ant. quando peccatum adimit majus bonum, & maximam pœnam incurrit ex natura ſua intrinſeca, & ſua ſpecie, ſecus vero ſi hæc mala præſtet ſolum demeritorie, & ex aliqua accidentali conditione ei conjuncta. Unde Div. Thom. in 2. diſt. 21. qu. 2. art. 2. ad 2. *Hoc fecit* (inquit) *per accidens, quod majorem læſionem intulit; ex hoc quod ſcilicet naturam integram invenit. Unde non ſequitur, quod gravius cæteris fuerit, quia hoc idem etiam ſequentia peccata feciſſent, ſi talem naturam inveniſſent: ſicut & ſecundum peccatum mortale gratia non privat, quia eam non invenit, ſed privaret, ſi inveniret* —— Ad id vero, quod dicitur de pœna, reſpondet idem S. Doct. ibi ad 5. quod *pœna peccati Adæ dupliciter dicitur. Una, quæ debetur ſibi in quantum eſt quoddam ſingulare peccatum, & perſonale; & ſic multis aliis peccatis gravior pœna dicta fuit. Alia, quæ debetur ſibi indirecte, ratione infectionis originalis peccati ex ipſo creata. Et ſic maxima pœna ipſum primum peccatum ſecuta eſt. Sed gravitas hujus pœnæ non commenſuratur quantitati primi peccati, ut fuit quoddam perſonale peccatum, ſed ſecundum quod corrumpit naturam.*

§. III.

An gravius fuerit Peccatum Adæ, quam Evæ?

X. Cum ex dictis peccati gravitas ſumi poſſit, vel ex genere; vel ex ſpecie peccati, vel ex circumſtantiis peccatum comitantibus; ſuppono cum Div. Thom. 2. 2. *qu.* 163. *art.* 4. peccatum tam viri, quam mulieris, quantum ad genus peccati, fuiſſe æqualis gravitatis: quia utriuſque peccatum, ut diximus, fuit ſuperbia. Unde Auguſt. dicit *lib.* 11. *ſuper Gen. ad litt. cap.* 35. quod *mulier excuſavit peccatum ſuum impari ſexu, pari faſtu.* Procedit igitur quæſitum de gravitate ex circumſtantiis, intra idem genus peccati.

XI. Dico primo. Si peccati gravitas exiſtimetur ex conditione, ſeu circumſtantia perſonæ, peccatum Adæ gravius fuit, quam peccatum Evæ, gravitate tamen ſecundum quid. Ita D. Thom. loco laudato *in corp. & ad* 2. Adam enim longe perfectioribus animi donis præditus erat, quam Eva. Unde Auguſtin. lib. de decem chordis cap. 3. *ſi caput* (inquit) *eſt vir, melius debet vivere, & præcedere in omnibus boni factis, maxime uxorem ſuam, ut illa imitetur virum*: ſed ille, qui debet melius facere, ſi peccet, gravius peccet; ergo &c.

XII. Dico ſecundo. Quantum ad ſpeciem ſuperbiæ, ac proinde ſimpliciter, peccatum Evæ gravius fuit peccato Adami. Ita S. Doct. ibidem. Et in 2. *diſt.* 22. *qu.* 1. *art.* 3. Probatur primo ratione ejuſdem. Gravius peccat in genere ſuperbiæ, qui ad hoc ſe erigit, ut peccet contra Dei voluntatem, hoc enim majorem indicat elationem: ſed hoc modo ſuperbivit Eva, non vero Adam; ergo &c. Min. probat S. Doct. *Mulier enim credidit verum eſſe, quod ſerpens ſuaſit, ſcilicet quod Deus prohibuerit ligni eſum, ne ad ejus ſimilitudinem pervenirent: & ita dum per eſum ligni vetiti Dei ſimilitudinem conſequi voluit, ſuperbia ejus ad hoc ſe erexit, quod contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit, hoc eſſe verum: unde non voluit conſequi divinam ſimilitudinem contra*

tra Dei voluntatem: ſed in hoc ſuperbivit, quod voluit eam conſequi per ſeipſum.

XIII. Confirmatur ex eodem in ſecundo ſentent. citato loco. Elatio, quæ movit mulierem major fuit, quam elatio, quæ movit virum: ſed gravitas peccati, ex eo, quod ad peccatum movet, potiſſimum ſumenda eſt; ergo &c. Min. explicat & probat S. Doctor his verbis: *In muliere enim talis fuit elationis progreſſus, ut ad verba ſerpentis tantum excellentiæ appetitum conciperet, ut judicium rationis perverteret, & crederet, hoc poſſibile, & verum, quod Diabolus dicebat: & propter hoc dicitur eſſe ſeducta. In viro autem non tantum excrevit in principio amor propriæ excellentiæ, ut judicium ejus perverteret, quaſi crederet, hoc eſſe futurum: ſed quia illud vellet, ſi poſſibile foret: & ideo non dicitur fuiſſe ſeductus, ſed tamen talis elatio ad experiendum ipſum incitavit. Unde aliquam dubitationem elatio in eo fecit, quæ in muliere firmam opinionem conceperat: & ideo etiam voluntas mulieris perfecta conſecuta eſt in appetitum divinæ ſimilitudinis, ſed viri imperfecta; ſcilicet ſub conditione, ſi poſſibile foret.*

XIV. Secunda ratio eſt. Ille gravius peccat, qui non ſolum peccat, ſed alium quoque ad peccandum inducit, quia peccat & in Deum, & in proximum: ſed Eva peccavit, non ſolum ipſa ſuperbiens, ſed etiam ſimilis ſuperbiæ autrix exiſtens viro, quem in peccatum traxit; ergo &c.

Tertia ratio eſt. Gravius peccat, qui ex ſola elatione ad peccandum movetur, quam qui etiam movetur ex quadam complacentia; hoc enim aliquomodo peccatum mitigat, & minuit: ſed mulier ex ſola elatione ad peccandum proceſſit, vir autem etiam ex complacentia erga uxorem, ut nimirum illi acquieſceret, & ne illam contriſtaret; ergo &c. Min. probat. ex Auguſt. 11. *de Gen. ad litt. c.* 42. dicente, quod Adam *in peccatum conſenſit amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.* Propterea S. Joann. Chryſoſt. advertens, Deum Adamum vocaſſe, non Evam, aut ſerpentem, *Conſidera* (inquit homil. 7. ad Pop. Antioch.) *curam Dei: non Evam vocavit, non vocat ſerpentem, ſed qui omnium leviſſime peccaverat, hunc ad judicium primum accerſit: ut ab eo incipiens, qui aliqua poterat venia potiri, etiam in eam, quæ multum peccaverat, mitiorem ferat ſententiam.* Et homil. 25. in Epiſt. ad hom. *Serpens* (inquit) *magis punitus eſt, quam mulier, quemadmodum & mulier pluſquam vir.* Rupercus etiam *lib.* 3. *in Geneſ. c.* 11. ubi quærit cur mulier, præter pœnam mortis communem viro, *in ſexu proprio triplicem pœnam habet?* Reſpondet: *Videlicet, quia peccati quantitas in muliere triplo major, quam in viro eſt. Primo, quia credendo ſerpenti, plus quam Deo, ſeducta eſt. Secundo, quia pulchritudinem, & ſuavitatem ligni delectabiliter concupivit. Tertio, quia non contenta tranſgreſſione propria, poſtquam comedit, viro quoque dedit.*

Dubium VII.

An primus Homo in ſtatu innocentiæ peccare potuiſſet venialiter?

§. I.

Mens D. Thomæ.

I. De hoc agit D. Thomas in 2. *diſt.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 3. *& q.* 7. *de Malo art.* 7. Ubi ſupponit tamquam communiter certum, Adam in primo ſtatu non peccaſſe venialiter, antequam peccaret mortaliter. Quia vero poſſet aliquis exiſtimare, hoc ideo eſſe, quia peccata, quæ ſunt nobis venialia, homini in ſtatu innocentiæ fuiſſent mortalia, propter excellentiam ſui ſtatus:

Sed hoc, inquit Sanctus Doctor eſſe non poteſt. Eſto enim unum & idem peccatum contingat gravius eſſe ob perſonæ excellentiam: ſola tamen circumſtantia perſonæ non aggravat peccatum in infinitum, illud de veniali transferendo in mortale; niſi ex circumſtantia perſonæ ad aliam ſpeciem peccati transferatur: puta ſi committatur ab aliqua perſona, quæ, ſecundum conditionem ſui ſtatus, ſit præcepto obligata, talem actum non committere, quod præceptum inferioris ſtatus perſonam non afficit. *Sicut in Sacerdote uxorem ducere eſt contra præceptum de voto continentiæ implendo, non autem in laico, qui non vovit. Et ſic illud, quod eſt, vel veniale, vel nullum peccatum in laico, eſt peccatum mortale in Sacerdote. Si vero actus ſuperioris perſonæ non repugnet præcepto ſpecialiter ſibi facto, non eſt peccatum mortale, quia omne peccatum mortale eſt contra præceptum divinæ legis.... niſi forte per accidens ratione ſcandali conſequentis, cum hoc ſit contra præceptum, præbere fratri occaſionem ruinæ.* Non poteſt autem dici, quod actus, qui in nobis ſunt peccata venialia, in Adamo fuiſſent contra aliquod præceptum ipſi ſpecialiter factum, quod non nobis; ergo peccata, quæ ex ſui ſpecie in nobis ſunt venialia, in Adamo quoque eſſent ejuſdem ſpeciei, & proinde venialia. Hac pulchra S. Thomæ doctrina præmiſſa.

II. Dico cum eodem citatis locis. Conditio ſtatus innocentiæ talis erat, quod tali ſtatu durante nullo modo poterat homo peccatum veniale committere. Probatur. Peccare venialiter contingit, vel quia ſenſualitas prævenit rationem, ut in motibus indeliberatis; vel quia ratio, etſi non deordinat a fine, inordinate tamen ſe habet circa ea, quæ ſunt ad finem: ſed neutro modo poterat homo, durante ſtatu innocentiæ, venialiter ſolum peccare; ergo &c. Min. pro prima parte prob. Durante ſtatu innocentiæ duraſſet juſtitia originalis, per quam ratio perfecte obediſſet Deo, pars inferior rationi, & corpus animæ; ita ut ſubjectio perfecta animæ, & rationis Deo eſſet cauſa perfectæ & totalis ſubjectionis virium inferiorum rationi, & corporis animæ: ſed manente cauſa maneret affectus; ergo (inquit S. Thom. in 2. diſt. 21. c. 2. art. 3.) *Sicut quamdiu homo erat ſubditus Deo, nihil in corporis partibus contingere poterat contrarium animæ, ita etiam nihil in viribus animæ contingere poterat, quod ſuperior ratio non ordinaret in Deum. Quod autem in Deum recte ordinatum eſt, peccatum non eſt. Et ita veniale peccatum in primo ſtatu contingere non poterat, ſicut nec mors niſi prius ordo mentis ad Deum tolleretur; quod ſine peccato mortali fieri non potuit.*

III. Confirmatur. In primo ſtatu talis erat obedientia corporis animæ, ut non ſolum in eo non permitteretur mors, ſed nec ægritudo, quantumvis levis, ut ſuperius vidimus; ergo talis erat obedientia virium inferiorum rationi, ut non ſolum non permitteretur in eo ſtatu peccatum mortale, quod eſt animæ mors, ſed nec peccatum veniale, quod eſt quædam animæ ægritudo.

IV. Secunda vero pars prob. Stante perfecta, & immobili adhæſione ultimo fini, nulla poteſt contingere inordinatio circa media; nam inordinatio circa media; etſi non ſemper ſit contra finem, ſaltem eſt præter finem: ſed durante ſtatu innocentiæ talis fuiſſet adhæſio ultimo fini, ut nihil contingeret, quod ratio ad illum non ordinaret; ergo &c. Majorem probat D. Th. *q.* 7. *de Malo art.* 7. Sic ſe habet in practicis finis, ſicut principium in ſpeculabilibus; ſicut enim principium indemonſtrabile eſt ſupremum in ſpeculabilibus, in quod reſolvuntur concluſiones; ita finis in operabilibus eſt, in quem omnia media ordinantur: ſed in ſpeculabilibus, quamdiu homo habet rectam exiſtimationem circa principia; non poterit incidere aliquis defectus circa concluſiones; ergo quamdiu ratio ſuperior bene omnino ſe habuiſſet circa finem, nullo modo deficere potuiſſet circa ea, quæ ſunt ad finem, *propter indefectibilem ordinem inferiorum ad ſuperiora ſecundum conditionem illius ſtatus*; ergo impoſſibile erat hominem in ſtatu innocentiæ inordinato ſe gerere erga media, peccando venialiter, niſi prius aliqua inordinatio ei contigiſſet circa finem, peccando mortaliter. Videantur a nobis ſuperius dicta *Quæſt.* 3. *dub.* 4. §. 4. *n.* 32. ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 89. *art.* 3.

§. II.

Contraria fundamenta.

V. Objicitur primo. Adam credidit, ſe poſſe peccare venialiter, & adhuc in innocentia permanere: ſed ſi peccatum veniale fuiſſet illi impoſſibile in illo ſtatu, hoc ille ſciviſſet, nec exiſtimaſſet oppoſitum; hoc enim in eo aliquam arguiſſet imperfectionem deceptionis, qua tunc non laboraſſet; ergo &c. Maj. probatur ex D. Aug. *lib.* 14. *de Civ. Dei c.* 13. dicente, quod mandato Dei uxoris præpoſuit voluntatem, quia putavit, ſe *venialiter tranſgreſſorem eſſe* præcepti.

VI. Confirmatur. Auguſtinus dicit *lib.* 11. *de Gen. ad litt. cap.* 42. quod Adamum *ſolicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret accepta illa eſca, non eſſe mortuam*; ſed illa experiendi cupiditas erat peccatum veniale; ergo, &c.

VII. Rurſus: ſubitus infidelitatis motus eſt peccatum veniale: ſed in Eva, antequam peccaret, fuit ſubitus infidelitatis motus, quaſi enim dubitans, dixit: *Ne forte moriamur*: ergo &c.

VII. Reſpondetur primo, diſt. maj. peccare venialiter peccato ex genere veniali, nego maj. peccato ex genere quidem mortali, ſed facilis veniæ, ſeu facile remiſſibili, conc. maj. Ita D. Thom. quæſt. 7. de Malo art. 7. ad 1. *Veniale* (inquit) *non ſumitur pro veniali in genere, ſicut nunc de veniali loquimur; ſed veniale dicitur facile remiſſibile*: Et in 2. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. poſtquam docuit, peccatum dici poſſe veniale tripliciter, nimirum ex genere, ut verbum otioſum; ex cauſa, ut quod ex infirmitate, vel ignorantia geritur; & ex eventu, ſicut culpam præcedentem confeſſio ſequens venialem facit, qua relinquitur reatus temporalis pœnæ, concludit. *Cur ergo Auguſtinus dicit, quod credidit, peccatum eſſe veniale, intelligitur veniale ex cauſa, quod quandoque etiam mortale eſt ſimpliciter.*

IX. Reſpondeo ſecundo. Dato etiam, quod Adam ex deceptione crediderit, peccatum illud eſſe veniale ex genere, nihil ſequitur contra noſtram aſſertionem. Nam Adamus jam peccaverat mortaliter per elationem, & ſuperbiam: unde non evincitur, quod peccaverit venialiter, antequam mortaliter peccaret. Et quod ita ſentiat Auguſtinus, oſtendunt verba ejus citato loco. Poſtquam enim dixerat, quod in occulto mali eſſe cœperunt, quod jam deſerto eo, cui animus debet adhærere principio, voluerunt ſibi quodammodo fieri, & eſſe principium, & ex hoc pervenerunt, Eva, ut crederet verum dixiſſe ſerpentem, Adamus vero, ut putaret, *ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe præcepti*: ſubjungit: *Non malum ergo opus factum eſt, ideſt illa tranſgreſſio, ut cibo prohibito veſcerentur, niſi ab eis; qui jam mali erant.*

X. Ad confirm. dici poteſt, quod dato, illam experiendi cupiditatem fuiſſe peccatum veniale; non fuit tamen primum peccatum, quia jam præceſſerat in Adamo elatio. Verius tamen cum D. Thoma *q.* 7. *de Malo art.* 7. *ad* 12. dicendum eſt, fuiſſe peccatum mortale. *Dicendum* (inquit) *quod illa experiendi cupiditas ſubſecuta fuit elationem, quam vir ex verbis mulieris concepit. Et hoc verba Auguſtini declarant, qui dicit, quod* virum propter aliquam mentis elationem ſolicitavit experiendi cupiditas. *Et illa elatio fuit primum Peccatum hominis, & fuit peccatum mortale, quia contra Deum ſuperbivit. Et tamen*

men cupiditas experiendi id, quod eſt prohibitum, poteſt eſſe peccatum mortale. Nec refert, quod Adamus ab Auguſtino ibi dicatur *ſpirituali mente præditus*; reſpondet enim Div. Thom. loco allato, quod hoc *referendum eſt ad tempus ante elationem inſurgentem; licet dici poſſet, quod etiam poſt peccatum habuit ſpiritualem mentem, non ſpiritualitate gratiæ, ſed ſpiritualitate perſpicacis intelligentiæ*, nimirum, ut non induci poſſet ad credendum, verum dixiſſe ſerpentem, quod ligni uſum Deus ex invidia prohibuerit: & hanc eſſe ſuam mentem indicans Auguſtinus, ait: *Non tamen eum* (Adamum) *arbitror, ſi jam ſpirituali mente præditus erat, ullo modo credere potuiſſe quod eos Deus ab eſca illius ligni invidendo vetuiſſet*.

XI. Ad id, quod urgetur, reſpondet D. Thom. qu. 7. de Malo art. 7. ad 13. *Quod non poteſt dici ſubitus motus infidelitatis, vel dubitationis, qui etiam in verba prorumpit. Et tamen etiam illam dubitationem mulieris in verba prorumpentem, elatio quædam in mente ejus præceſſit ex verbis ſerpentis, quibus ſolicitavit eam de hoc, quod præcepto ſuperioris continetur. Statim enim in mente mulieris ſurrexit elatio, per quam faſtidivit præceptis Dei cohiberi; & ex hoc ſubſecuta eſt dubitatio*. Ita Div. Thom. Dici etiam poteſt, verba illa: *ne forte moriamur*, non fuiſſe quaſi dubitantis, ſed potius aſſerentis, ut ſupra obſervavimus.

XII. Objicitur ſecundo. Minus opponitur integritati primi ſtatus peccatum veniale, quam mortale, quod tamen in eo ſtatu homo commiſit; ergo multo magis peccatum veniale committere potuit.

XIII. Confirmatur. Prius acceditur ad minus diſtans, quam ad magis diſtans: ſed peccatum mortale magis diſtat a rectitudine primi ſtatus quam peccatum veniale; ergo prius pervenit Adam ad peccatum veniale, quam ad mortale. Eo vel maxime quod peccatum veniale eſt diſpoſitio ad mortale, diſpoſitio autem præcedit habitum.

XIV. Reſpondet D. Thomas *par. 7. de Malo art. 7. de* 4. negando conſeq. *Veniale, & mortale peccatum in tantum repugnant integritati primis ſtatus, quod illa integritas neutrum eorum compatitur. Sed peccatum mortale in tantum plus opponitur, quia poterat integritatem primi ſtatus corrumpere, non autem peccatum veniale*. Quod magis explicans in 2. ſent. diſt. 21. qu. 2. art. 3. ad 4. *Rectitudo* (inquit) *originalis juſtitiæ in tantum repugnabat culpæ mortali, ut ſimul cum ea eſſe non poſſet; tamen culpa mortalis, quæ ei oppoſita erat, ipſum privare poterat. Venialis autem culpa nec privare juſtitiam originalem poterat, cujus principium erat in ordine ſuperioris partis in Deum, a quo veniale peccatum non ſeparat, nec ſimul poterat cum ea eſſe, propter ordinem inferiorum ſub ſuperiori*. Et ecce repugnantiam peccati venialis cum ſtatu integritatis ſpecialem. Nam peccatum mortale deſtruebat ſtatim integritatem, uti de facto deſtruxit. Veniale autem, ex una parte, non deſtruxiſſet cauſam integritatis, quæ eſt ordinatio ſuperioris partis in Deum: ex alio vero, ſtante ordine inferiorum virium ſub ſuperiori, peccatum veniale eſſe non poterat, vel ſi fuiſſet, jam pars inferior non eſſet amplius perfecte ordinata ſub ſuperiori.

XV. Ad confirm. reſpondet idem S. Doct. qu. 7. cit. de Malo art. 7. ad 6. *quod ratio illa procedit, quod ad magis diſtans non poteſt perveniri niſi per minus diſtans aliquod determinatum. Sed quando per diverſa minus diſtantia poteſt perveniri ad unum magis diſtans, non oportet quodcumque illorum præexiſtere. Sicut ſi ad locum aliquem poſſit perveniri per diverſas vias, non oportet, quod antequam perveniatur ad aliquid magis diſtans, perveniatur ad aliquid minus diſtans in una illarum viarum. Et ſimiliter non oportet, quod homo prius peccet venialiter, quam mortaliter*.

Hinc peccatum veniale eſt diſpoſitio ad mortale non naturalis, & neceſſaria, ſed contingens, & ad facile eſſe; unde non oportet, ut ſemper præcedat. *Dupliciter* (ait Div. Th. qu. 7. de Malo art. 7. ad 3.) *aliud diſponit ad alterum. Uno modo ſecundum ordinem neceſſarium, & naturalem, ſicut calor diſponit ad formam ignis: & talis diſpoſitio ſemper præcedit id, quod diſponit. Alio modo contingenter, & quaſi per accidens, ſicut ira diſponit ad febrem; non tamen oportet, quod ſemper ira febrem præcedat. Et hoc modo veniale diſponit ad mortale, nec tamen ſemper præcedit*. Hoc idem docet *in 2. diſt. 21. qu. 2. art. 3. ad 1.* dicens: *Duplex eſt diſpoſitio: quædam eſt, quæ neceſſaria eſt ad eſſe ejus, ad quod diſponit: & hæc ſemper præcedit illud, ad quod diſponit, ſicut calor formam ignis. Quædam vero diſpoſitio ordinatur ad facilitatem ejus, ad quod diſponit, quod quidem ſine ea eſſe poteſt, ſed non ita de facili: ſicut quod ligna perfunduntur oleo, ut inflammentur citius: & ſic veniale peccatum eſt diſpoſitio ad mortale*.

XVI. Objicitur tertio. Invenitur aliquis ſtatus creaturæ rationalis, in quo poteſt quis peccare mortaliter, & venialiter, ſicut in nobis accidit. Invenitur etiam alius ſtatus, in quo non poteſt quis peccare non venialiter, nec mortaliter, ſicut in ſtatu Gloriæ. Invenitur etiam aliquis ſtatus, in quo non poteſt peccari venialiter, ſed mortaliter tantum, ut ſtatus Damnatorum; ergo eſt aliquis ſtatus, in quo poteſt peccari venialiter tantum, & non mortaliter illo ſtatu durante: ſed hic non poteſt eſſe alius, quam ſtatus innocentiæ; ergo illo durante poterat homo peccare ſolum venialiter.

XVII. Hoc argumentum quoque contra ſe proponit D. Th. citata *qu. 7. de Malo art. 7.* cui reſpondet *ad 8. Dicendum: quod hujuſmodi rationes non efficaciter concludunt ubique. Poteſt enim inveniri aliquid ſine altero, ſicut ſubjectum ſine accidente, & forma ſine materia; & tamen alterum ſine illo non poteſt inveniri. Et ſimiliter dici poteſt, quod etſi inveniatur ſtatus, in quo poſſit eſſe peccatum mortale tantum, non propter hoc oportet inveniri ſtatum, in quo oporteat tantum eſſe peccatum veniale. Licet poſſimus dicere, aliquem ſtatum eſſe, in quo non potuit eſſe peccatum mortale, ſed veniale, ſicut in ſanctificatis ex utero, in Jeremia ſcilicet, & Joanne Baptiſta, & Apoſtolis, de quibus dicitur*: Ego confirmavi columnas ejus. *Qui creduntur confirmati fuiſſe per gratiam, ut mortaliter peccare non poſſent, ſed tantum venialiter*. Hæc Div. Thom.

XVIII. Objicitur quarto. Liberum arbitrium ſi confirmatum non ſit, ſe habet ad oppoſita: ſed liberum arbitrium hominis in primo ſtatu confirmatum non erat; ergo ſicut poterat non peccare venialiter, ita etiam poterat peccare venialiter.

Reſpondet Div. Thom. in 2. diſt. 21. qu. 2. art. 3. ad 2. *quod Adam in primo ſtatu habebat liberum arbitrium ad peccandum venialiter, ſed hoc non poterat in actum exire, niſi prius peccaret mortaliter; & ratio hujus dicta eſt. Vel poteſt dici, quod comparando liberum arbitrium ad objectum ſuum, confirmatum non erat; ſed comparando unum ordinem ad alium, habebat quamdam confirmationem, ut ſcilicet inferior ordo ſuperiorem inviolabiliter ſequeretur*. Quouſque autem hic ordo inviolabiliter ſervabatur, peccatum veniale contingere non poterat, ut diximus ex D. Thoma, & probavimus. Qui etiam videri poteſt 1. 2. *qu. 89. art. 3.* Alias objectiones proponit, & ſolvit Sanct. Doct. laudata *qu. 7. de Malo art. 7.* in 2. *diſt. 21. qu. 2. art. 3.* quas Studioſus percurret.

QUÆSTIO VI.

De Pœna, & Pœnitentia primorum Parentum.

LApſum, quo per peccatum a ſtatus innocentiæ felicitate deciderunt male cauti Parentes primi, multa mala comitata ſunt, & ab ipſis in totam poſteritatem propagata. De his ergo malis, quæ in pœnam peccati eorum conſecuta ſunt, ac eorumdem de patrato delicto pœnitentia quæſtione præſenti tractabimus cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 164. & alibi: quibus etiam ſubjiciemus de annis, quibus vixerunt, & cibis, quibus utebantur.

DUBIUM III.

De Pœna inflicta Serpenti, Evæ, & Adamo.

§. I.

Pœna Serpentis.

I. PAtrato peccato, amiſſa originali Juſtitia, apertis oculis turpitudinem ſuæ nuditatis ex inſurgente concupiſcentia agnoſcentes, eam foliis ficus cooperire conati ſunt; audienteſque inſuper vocem Domini, meritam delicti ſui exprobrationem, ac vindictam metuentes, latebras, ut ſe ſe abſconderent, quæritabant. Verum Deo vocanti ſe ſiſtere coacti, atque increpiti delictum, quod ſincere accuſare debuerant, excuſare cœperunt: Adamus quidem vertendo crimen in mulierem, quam Deus illi dederat ſociam: Eva autem culpam rejiciendo in ſerpentem, *Serpens decepit me*. Hæc refert Moyſes Gen. 3. a ver. 7. ad 13. Verſu vero 14. ſubdit: *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. ver. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum: & tu inſidiaberis calcaneo ejus*. His pœna fuit inflicta ſerpenti, qui inſtrumentum fuit Diabolo ad tentandum. Fuiſſe autem hunc verum ſerpentem, ac pœnam fuiſſe vero ſerpenti etiam litteraliter, & non ſoli Diabolo inflictam; oſtendimus Quæſt. præcedente Dub. 2. primum quidem toto §. 1. ſecundum vero §. 2. nu. 15.

II. Quatuor igitur præfatis verbis pœnæ ſerpenti infliguntur. Prima eſt maledictionis divinæ fulminatio, ideſt (inquit Chryſoſt. hom. 17. in Gen.) *Quia tali malitiæ miniſtraſti, ut fraus illa opere compleretur... quia ſic feciſti, & a mea benevolentia excludere voluiſti creaturas meas, miniſterio maligni Dæmonis tentantis exhibito... propterea quia te in his, ut inſtrumento eſt uſus, perpetuam tibi pœnam impono; ut per ea, quæ tibi inferuntur, & ille ſcire poſſit, quodnam ipſum maneat ſupplicium; & futuri homines erudiantur, ne ſeducantur Diaboli conſiliis, neque illius fraudes admittant, ut ne in eaſdem incidant pœnas*. Cur autem ſerpenti maledixerit, & pœnas inflixerit, quamvis merum organum, & inſtrumentum diabolicæ malitiæ fuerit; diximus loco ſupracitato ex eodem S. Chryſoſtomo videndo *nu.* 15.

III. Secunda pœna fuit reptatio ſuper terram, & comeſtio terræ. Quidam, maxime Veteres, putarunt, ſerpentem antea erectum inceſſiſſe, nec terram comediſſe; ut obſervavimus citato loco *nu.* 14. & Chryſoſtomus laudatus videtur ſupponere, dicens: *Quia forma tua abuſus es, & in familiaritatem rationalis animalis a me conditi venire non formidaſti. Sicut igitur Diabolus, qui per te operatus, & te inſtrumento uſus eſt, e Cælis deorſum depulſus eſt; quia plus, quam dignitatis ſuæ erat, ſapere volebat: ita ſimiliter impero, ut & tu aliam formationis figuram habeas; & ſuper terram repas, eaque alaris; atque adeo ne liceat tibi poſthac ſuſpicere, ſed ſemper hoc maneas ſtatu, & ſolus ex animalibus terra paſcaris*. Verum quia, ut ſuperius diximus, citato loco *num.* 15. forte probabilius cenſuimus, etiam antea ſerpentem ſuper terram greſſum, & terra paſtum fuiſſe, nec proinde ejus immutatam naturam, dicitur, quod ſicut mors, quæ homini in ſuis naturalibus condito fuiſſet naturalis, modo verſa eſt in pœnam:

nam: ita greſſus ſuper terram, & terræ comeſtio, quæ prius ſerpenti erat natura, voluit Deus, ut eſſet ſupplicium, & ignominia.

IV. Tertia pœna fuit inimicitia inter ipſum, & mulierem, & ſemen illius, nempe genus hominum; & quidem nullum aliud animal adeo averſantur homines, quam ſerpentes: nemo enim eſt, qui non ad ejus aſpectum horreſcat. Familiarem proinde ante peccatum fuiſſe ſerpentem putant Damaſcenus *lib. 2. de Fide cap.* 10. & Chryſoſtomus *hom. 16. in Gen.* ſuperius a nobis relati citato loco *nu.* 11. factumque eſſe inimicum, & horrificum ſolum poſt peccatum: & probabiliter quidem. Nam ante peccatum animantia omnia hominis imperium venerabantur: unde dicitur *inimicitias ponam* in futuro. Porro iſtæ inimicitiæ, quas poſuit Deus inter ſerpentem animal, & hominem typus inimicitiæ fuerunt, quæ futura erat inter B. Virginem Mariam & ſemen ejus Chriſtum cum Diabolo per ſerpentem figurato. Hinc ſequitur

V. Quarta pœna, quod nempe ſerpentis caput conterendum eſſet per ipſam, nempe mulierem. Scio, magnam eſſe hinc Codicum varietatem. Ubi enim Vulgata noſtra reddit; *ipſa conteret caput tuum*. Verſio lxx. legit *ipſe*, Hebræi legunt *ipſum*. Verius tamen Vulgata reddebat *ipſa*, S. Aug. quoque *lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 18. & lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 36.* Sed ſive legatur *ipſa*, referendo ad mulierem; ſive *ipſum*, referendo ad ſemen illius; ſive *ipſe*, referendo ad filium ejus, ut Chaldaicus Interpres pro *ſemen illius* vertit *filium illius*, in idem redit, & idem ſenſus eſt. Nam ſi legamus *ipſa*, vel *ipſum*, ſcilicet ſemen, verus ſenſus eſt, quod ipſe Chriſtus ſemen mulieris contriturus ſit caput, ideſt omnem potentiam Diaboli, alligans, & ſubjiciens ipſum, ne amplius, ut ante, contra hominem caput erigeret. Si vero legamus *ipſa* conteret, ſcilicet mulier, fit ſenſus: quod Eva, vel potius Virgo Maria, proferet ſemen illud, nempe Chriſtum, per quem virtus ſerpentis conterenda erat. Quo modo dicitur Abrahæ Gen. 12. ver. 3. *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ*, propter Chriſtum ex ejus ſemine naſciturum; quod *Gen. ver. 18. & cap. 26. ver.* 4. clarius exponitur, dicendo: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Ita *Ipſa*, nempe B. V. Maria, in ſemine ſuo Chriſto contritura erat caput ſerpentis. Quapropter de ſe ipſa Lucæ 1. ver. 48. *Ex hoc* (inquit) *beatam me dicent omnes generationes*.

VI. Quapropter inſcite, ſeu potius impie Lutherus in hoc cap. Gen. & poſt ipſum Calvinus ibidem, culpant Eccleſiam Romanam, quod legat *ipſa conteret*. Non hoc ex ignorantia proceſſit, ut hi Nebulones imponunt. Cum Eccleſia antequam in multis Verſionibus ita legerit, ut vidimus; & varietas naſcatur ex hoc, quod Hebræum *his*, ideſt *ipſa*, ſine punctis ſæpe iiſdem prorſus litteris ſcribatur, quibus *hoc*, ideſt *ipſe*, & idem ſit ſenſus, utrolibet modo legatur: non eſt cur ignorantiæ hoc deputent. Multo magis autem blaſphemus eſt Lutherus, qui ita Eccleſiam Romanam legere imponit, ut ſuæ, ait ipſe, Idololatriæ patrocinari faciat Scripturam; dum honorem, qui ſoli Chriſto debetur, Mariæ, immo cuique mulieri communicat. Nam ſicut Chriſto non detrahitur, dum Abrahæ dicitur: *In te benedicentur*, quia idem reddit, ac *in ſemine tuo*, ſeu ratione ſeminis ex te prodituri: ita nec Chriſto derogatur, dum dicitur *ipſa conteret*, quia nonniſi ratione Chriſti ſerpens erat ab ea conterendus. Quod fateri debet, velit, nolit, Lutherus ipſe. Nam dum ipſe legit *ipſum*, ideſt ſemen mulieris conteret; vel intelligit de quocumque ſemine mulieris, vel de ſolo ſemine Chriſto. Si primum; ergo & ipſe cuique ſemini ex muliere tribuit, quod ſoli debetur Chriſto. Si ſecundum; ergo nec nos cuicumque mulieri hoc privilegium cumulamus; ſed ſoli illi, quæ *benedicta inter omnes mulieres*, quia *benedictus fructus ventris ejus* ab Eliſabeth pronunciatur *Lucæ 1. ver.* 42. Cui quidem ſuum honorem deferimus, ſed non qualem exhibemus Chriſto. Quod ſi Lutherus B. V. Mariam omni cultu honoris ſpoliare intendit, impius eſt, hic deteſtandus: ſed non vacat eum confutare.

VII. Ex dictis colligitur, pœnam hanc reſpicere potius Diabolum ſerpentem myſticum, quam ſerpentem verum. Quamvis Rupertus *lib. 3. in Gen. cap.* 20. referri poſſe cenſeat etiam ad ſerpentem verum: *Nam* (inquit) *ſi nuda mulieris planta dentem ſerpentis prævenerit, ſtatim totum cum capite corpus repente interit; ita ut nullus omnino motus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit, quod nec malleis aut vectibus certe, nec gladiis concidentibus cito, aut leviter effici poteſt. Siquidem exciſum caput cum tribus, aut duobus digitulis, vivere, & abire perhibetur*. Hæc Rupertus aſſerens, quod hoc totum, quod prædictum eſt, ita eſſe, ipſorum, qui per induſtriam exploraverunt, fida relatione ſe comperiſſe. Sed quidquid ſit, dubium non eſt, quin pœnam iſtam Diabolus ſerpens myſticus ſubierit.

§. II.

Pœna Evæ.

VIII. JActo in ſerpente maledictionis, ac cæterarum pœnarum fulmine Dominus Gen. 3. ver. 16. *Mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Quibus Evam, ac feminas ei ſucceſſuras triplici pœna mulctavit Deus, nempe multiplicatione ærumnarum in multitudine conceptuum; dolore in partu; & ſubjectione viro, ejuſque poteſtati. Triplici autem pœna damnata fuit mulier; quia, ut ſuperius diximus ex Ruperto *lib. 3. in Gen. cap.* 21. triplo magis peccavit ipſa, quam vir. *Primo, quia credendo ſerpenti, pluſquam Deo, ſeducta eſt. Secundo, quia pulchritudinem, & ſuavitatem ligni delectabiliter concupivit. Tertio, quia non contenta tranſgreſſione propria, poſtquam comedit, viro quoque dedit*. Pro triplici ergo peccato triplex pœna erat infligenda. *Ita* (inquit Rupertus) *pro ſeductione, qua ſeducta eſt, conceptuum multiplicitas; pro gulæ oblectamento, uteri dolor; pro temerario imperio ſervitus illa pœna ei reddita eſt*.

IX. Dices tamen primo. Multiplicatio prolis pertinet potius ad dignitatem mulieris, magnum eſt gaudium Parentum; futura proinde eſſet quoque in ſtatu innocentiæ; ergo non erat deputanda mulieri in pœnam.

X. Reſpondeo cum S. Thom. 2. 2. qu. 164. art. 2. ad 2. *quod multitudo conceptuum inducitur in pœnam mulieris, non propter ipſam procreationem prolis, quæ etiam ante peccatum fuiſſet, ſed propter multitudinem afflictionum, quas mulier patitur ex hoc, quod portat fœtum conceptum. Unde ſignanter conjungitur* Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Hæc D. Thomas. *Et* Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 22. *Hæc autem* (inquit) *multiplicatio, non benedictionis, ſed damnationis eſt; non gratiæ, ſed iræ, non clementiæ, ſed vindictæ. Unde & non ait tantum, multiplicabo conceptus tuos; ſed multiplicabo, inquit, ærumnas tuas, & conceptus tuos*. Ærumnæ autem ſunt, incommoda, quæ mulieres patiuntur, dum fœtum geſtant in utero, quorum multi per abortum in utero matris intereunt, & ſæpe matrem ipſam necant. Multi depravati mole, & figura monſtruoſi, complexione debiles naſcuntur, qui Parentibus dolori ſunt. Eorum inſuper, qui generantur, pauci electi ſunt, plerique æternis ſuppliciis addicti. *Quanta* (ait Rupertus) *putas hæc ira, quanta eſt vindicta: concipi, vel naſci tot homines, qui numerum excedant, qui ad Dominum, vel vitam æternam non pertineant, quibus proinde melius erat, ſi nati non fuiſſent*.

XI. Altera mulieris pœna fuit, dolor in partu. In dolore paries. *In ſtatu enim innocentiæ* (ait Div. Thom. 2. 2. qu. 164 art. 2. ad 1.) *fuiſſet partus abſque dolore. Dicit enim Auguſt. lib. 14. de Civ. Dei cap.* 26. Sicut ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus feminea viſcera relaxaret: ita ad fœtandum, & concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius uſus naturam utramque conjungeret. De hoc ſupra egimus *Qu. 4. Dub. 3.* §. 2. Nunc autem (inquit S. Thom. citatus ad 3.) *quæcumque mulier concipit, neceſſe eſt, quod ærumnas patiatur, & cum dolore pariat, præter B. Virginem, quæ ſine corruptione concepit, & ſine dolore peperit; quia ejus conceptio non fuit ſecundum legem naturæ a primis Parentibus derivatæ*. Hinc S. Chryſoſt. *hom. 17. in Gen.* in perſona Dei ſic loquitur: *Ego quidem volebam, te citra dolorem, & ærumnam vivere, liberamque ob omni mœrore, & triſtitia, & omni voluptate repleri, & licet corpore circumdatam, corporalium ſenſu non affici: at quia non uſa es, ut oportet, tanta proſperitate, ſed affluentia bonorum tam ingratum tibi animum invexit: propterea tibi frænum impono, ut ne amplius laſcivias, ad triſtitias, & gemitus te condemnans*. Et paulo poſt: (inquit) *magnæ lætitiæ, & filiorum propagationem a dolore, ut incipias, faciam; ut & ipſa per cujuſque partus dolores, & ærumnas perpetuo monearis, quanta ſit peccati, & inobedientiæ magnitudo &c.*

XII. Quod ſi dixeris. Pœna debet ad omnes tranſire mulieres: ſed non omnium multiplicantur conceptus, multæ enim ſunt ſteriles. —— Reſpondeo cum Div. Thom. loco citato ad 3. quod *ſi aliqua non concipit, neque parit, patitur ſterilitatis defectum, qui præponderat pœnis prædictis*.

XIII. Tertia Mulieris pœna eſt, quod ſit ſub poteſtate viri, ejuſque dominio, ſubjectione non ſolum voluntaria, ſed etiam involuntaria. *Subjectio autem mulieris ad virum intelligenda eſt in pœnam mulieris eſſe inducta, non quantum ad regimen (quia etiam ante peccatum vir caput mulieris fuiſſet, & ejus gubernator extitiſſet) ſed pro ut mulier contra propriam voluntatem nunc neceſſe habet viri voluntati parere* (inquit S. Thom. laudato loco *ad* 1.) & S. Joann. Chryſoſt. *hom. 17. in Gen.* inducit Dominum mulieri ſic loquentem: *Ego ab initio honore parem te formavi, & ejuſdem dignitatis in omnibus participem, & ſicut viro, ita & tibi omnium principatum concredidi: cæterum quia abuſa es dignitate, ſubjicio te viro*. Et inferius, *Melius eſt, ut tu ſub illo ſis, & illum dominum habeas, quam libere, & cum poteſtate vivens per præcipitia feraris. Nam & equo utilius eſt fræno regi, & compoſite progredi, quam ſine illo per præcipitia ferri*.

XIV. De hac mulieris pœna ita loquitur D. Thom. 2. 2. qu. 164. art. 2. *Mulieri attributa eſt pœna ſecundum duo propter quæ viro conjungitur. Quæ ſunt generatio prolis, & communicatio operum pertinentium ad domeſticam converſationem. Quantum autem ad generationem prolis, punita fuit dupliciter. Primo quidem quantum ad tædia, quæ ſuſtinet, portando prolem conceptam. Et hoc ſignificatur, cum dicitur*: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. *Et quantum ad dolorem, quem patitur in pariendo: & quantum ad hoc dicitur*: in dolore paries. *Quantum ad domeſticam converſationem, punitur ſecundum hoc, quod ſubjicitur dominationi viri per hoc, quod dicitur*: ſub viri poteſtate eris.

§. III.

De Pœna Adæ.

XV. POſtquam Dominus mulieri ſuas pœnas inflixit refert Moyſes Geneſ. 3. ver. 17. &c. *Adæ vero dixit: quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, &*